repurgare, liberare, atq; exonerare Vultis, ad pauca Vos redigite
atq; Paupertatem ferre ne dubitetis; inest Paupertati felici-
tas, inest Beatitas, inest secura libertas, atq; libera securitas:
nam quid Croesi parasse Divitias, quid Midae, aut Pactoli opes
vel Pelopis corrasisse talenta, quid demum totas auri massas
aut montes aureos coacervasse iuvat? Non miseriarum finis
sed mutatio est, natura paucis contenta est, panem, et aquam
desiderat, ad hoc nemo Pauper est, intra quae quisquis deside-
rium concluserit cum ipso Ioue de felicitate sua contendere
audebit.

# Oratio 3.

## De Pauperibus; habita 1661.

## XIIII.

O tempora, o mores novos, sed perversos! priusne illacrimandū
mihi, an perorandum? priusne Vultus meus pudore suffundendus, an
iustas in iras eundum sit ad. relige. dubius haereo: ad collacrimandū,
dum sibi ingentes, quibus quotidie pene obruuntur miseri mortales
miseriarum, calamitatumq; procellae; ad perorandū magna huius
temporis necessitas; ad erubescendum incredibilis iudiciorum per-
versitas; ad irascendum incastigata quorundam peccandi licen-
tia provocant, hortantur, invitant. Tanta namq; perversita-
tis abundantia, tantaq; temeritatis audacia inter Morta-
les hoc nra aetate grassatur, ut quivis impunè quidlibet audeat
quod audet faciat, et quod facit rectum, et omnibus gratum
esse putet! Sed quorsum, quorsum hoc disputo? nimirum ut
Pauperes, pauperes inquam invisa Superis capite in hos traha
non eos solum qui cum fortes, ac robusti sint, tamen omni